

Q. K. 132, 1.

(X 2004675) II, 64

Ya
5318

Copia Literarum
STATUUM EVANGELICORUM
Ad
REGEM GALLIÆ
IN CAUSA ERFUR-
TENSI,
Anno DC LXIV.

BIBLIOTHECA
MINICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)





Serenissime & Potentissime Rex,
Domine Clementissime.



Christianissimæ Regiæ Vestræ Majestatis Plenipotentiario, Perillustri Domino Gravellio, exhibuimus nuper 31. Aug. & 10. Sept. Informationes quasdam & Rationes in Causâ Erfurtensi, triplici Scripto comprehensas, quas nunc ad Regiæ Vest. Maj. manûs pervenisse credimus, atque Eidem inde constare, quo in loco res ista sita tum fuerit, quidve à Regiâ V. Maj. Electores, Principes & Status Augustanæ Confessioni addicti, Domini nostri expectent, nimirum ut ipsa pro eâ, quâ pollet, singulari auctoritate, Eminentissimum Dominum Electorem Moguntinum, ad parcendum potius Civitati permovere, quam ad eandem aut delendam penitus, aut, quod ferè gravius accidit, pristinis suis libertatibus, honoribus, Juribus & Privilegiis exuendam, copiis Regiis juvare velit.

Omnia ista, Rex Christianissime, hinc repetita volumus, quamvis nonnulla ex adductis ibi argumentis (pace interim cum Turcâ vel induciis pactis, aliisque fortè rerum eventibus) in alium Statum devenisse videantur, attamen, cum in talibus negotiis primordia respicienda, cumque reliqua rationum momenta firmo etiamnum stent talo, justâ eorum omnium habitâ ratione, Regius animus in mitiori, quam procul dubio jam suscepit, sententiâ confirmetur, nobis etiam, si quis adhuc præter spem & expectationem hæreat scrupulus, eundem cum debitâ Regii nominis veneratione eximere paratis.

Ut

Ut enim omnia illa , quæ in principali negotio , de Restitutionis termino ad Statum Anni 1618. vel 1624. examinando , de requisitis & Processu Banni &c. dici possent , jam prætereamus , hunc sanè exequendi modum , quem Eminentissimus Elector , Ministrorum quorundam , ut videtur , impulsa sibi delegit , non sine gravi damno , præjudicio & periculo Constitutionum Imperii , Pacis & quietis publicæ , atque vicinorum Statuum , & omnium Augustanæ Confessioni addictorum , expediri posse , adeò liquet , ut certissimam apud seram etiam , si qua futura est , posteritatem reprehensionem incursumus , si ad rem exemplo adeò perniciosam conticescamus.

Percepimus , persuasum esse Eminentiaæ Suæ Electorali , triplici quasi viâ eam progredi posse ad oppugnandam armis & vi capiendam miseram urbem , unâ ex capite Banni , alterâ ex capite Restitutionis per Instrumentum Pacis sibi debitæ , tertiâ ex Jure Superioritatis. At verò , primam quod attinet , est utique , si quidem Bannum armis exequendum sit , in Constitutionibus Imperii certus præfinitus modus ; Quo neglecto , Executionem ejusmodi pro lubitu demandare aut facere , ne ipsi quidem Imperatoriæ Majestati integrum est , Sacramento quippe solenniori ad observandas Imperii Leges adstrictæ : Ipso quoque Instr. Pac. Monasteriensis , §. Verum tamen , si neutro &c. Sententias ita executioni mandari jubente , prout Imperii Leges de exequendis Sententiis constituunt.

Sic & in secundâ , si quis rem quasi ex Instr. Pac. sibi debitam & Restituendam persequatur , ipsum in Causâ propriâ Executorem idoneum esse non posse , etiamsi Director aut Dux Circuli esset , idem illud Instrumentum Pacis , §. Inprimis quidem Imperator &c. disertis verbis pronunciat. Idem Augustissimus Cæsar in Edicto executionis , statim post conclusam Pacem 7. Novembris 1648.

proposito monuit. Nec obstat Recessus executionis Noricus præliminaris de Anno 1649. in quo quidem omne suæ Causæ præsidium locant Moguntinenses. Sed operæ pretium est, si patiatur Regia Vestr. Majestas sibi verba istius Recessus prælegi: Locus est in §. So dann Chur: Fürsten vnd Stände 2c. Verba ex Germanico in Latinum translata, ita habent:

Quod attinet ad Electores, Principes & Statûs, firmum maneat, quòd in puncto Restitutionis ex capite Amnestiæ & Gravaminum, ex Instr. Pac. & secundum positam in ipso normam universalem terminorum à Quo, Regulas item tam generales, quàm speciales, sine affectu, sine morâ & sine respectu personarum, Religionis vel Jurium petitorii, (attamen cum reservatione eorum in puncto Amnestiæ factâ prius restitutione) vel quarumcunque aliarum exceptionum, cujuscunque nominis, inprimis secundum nudum factum possessionis, usûs, observantiæ, & exercitii, casûs liquidi ab illiquidis separandi, atque eâ ratione expediendi, ut casûs liquidi, qui vel Instr. Pac. specialiter & nominatim expressi, aut tamen sub Regulis generalibus sine ullâ contradictione comprehensi, præsertim quod in viciniâ, & propter temporis brevitatem aliàs facili negotio expediri potest, nimirum in adjectâ designatione Lit. A. enumerati, adhuc ante primum, secundum & tertium exauçtorationis & evacuationis terminum decidentur & executioni mandentur. Quo intuper habito, restituendis adhuc ante lapsum ultimi termini exauçtorationis & evacuationis licitum sit, ad ulteriorem oppositionem vel tergiversationem restituentium, & si hi per Directores Circuli vel Executores, ad debitum præstandum aliter permoveri nequeant, unâ cum istis, vel propriis mediis, vel ope proximè ad manûs habentium

tium Cæsareorum, Regiorum Suevicorum vel aliorum armorum, adeoque manu militari se ipsos restituere, & in possessionem inducere. Quæ quamvis militaris, attamen iusta Executio, nullo modo pro contraventione Pacis Olnabrugæ & Monasterii conventæ haberi aut allegari debet, sed refractarii Restituentes ad restitutionem omnium exinde provenientium damnorum & expensarum obligati sunt.

Hæc scilicet vel sola verborum recitatio, contrariæ sententiæ omninò refutatio est. Animadvertisse enim jam Regiam Vestr. Maj. existimamus, ut Elector, Princeps aut Status Imperi propriis ac alienis viribus in propriâ Causâ, sine contraventione Pacis exequeretur, non aliter tum concessum fuisse, quàm 1. in casibus liquidis, secundum nudum factum possessionis, usûs, observantiæ & exercitiî censendis; 2. vel in Inst. Pac. nominatim expressis, vel sub Regulis generalibus sine ullâ contradictione comprehensis; 3. propter temporis (huic extraordinario exequendi modo præstituti) brevitatem facili negotio expediendis; 4. in adjectâ tum designatione Lit. A. enumeratis, (ubi scilicet Causa Eminentissimi Electoris contra Civitatem Erfurtensem nusquam legitur); 5. intra tres evacuationis & exauktionis terminos decidendis & executioni mandandis. Quæ omnes Conditiones quàm non convenienti præsentî Casui, ipsa facti evidentia demonstrat. Quinimò ulterius Executionem istiusmodi irregularem ipse ille Recessus Noricus non aliter probat, quàm si 6. executio talis intra prædictos tres evacuationis & exauktionis terminos expediatur. Qui scilicet termini cum vigore Recessûs Norici principalis, die 28. Julii & 7. Aug. 650 planè expiraverint, quâ ratione Textus iste Moguntinensium intentioni suffragari possit, equidem ignoramus. Potius si argumentum à contrario, quod ajunt, sensu ducere liceat,

liceat , quàm proclive foret ex hâc ipsâ Receptis Norici lege concludere , omnem aliam in propriâ Causâ , post id trium terminorum tempus factam aut faciendam executionem pro illegitimâ & contraventione Pacis habendam ? Ut 7. nihil dicamus , Civitatem id , quod ex Inst. Pac. quasi debitum prætendebatur , id est , decantatas illas preces , ad Serenissimi Electoris Saxonix , cæterorumque Aug. Conf. Statuum admonitionem, jam Mense Maio præstitisse , nihilque adeò ab isto tempore Moguntinensibus superfuisse , ad quod vel literam ex toto isto superiùs relato Receptis Norici articulo applicare possent. Denique de Superioritatis Jure , quæ allegantur , non unius seculi ista inter Archiepiscopos Moguntinos & Civitatem Erfurtensem fuit controversia : interim sufficit, nunquam ipsis pleno jure subiectam fuisse Civitatem , sed sub certis legibus paruisse, cætera liberam & immunitatibus munitam. Ita verò generaliter statuendum est : Qualicumque quis jure ad premendam obsidione quamcunque Civitatem veniat , si quidem aditus ad illam non pateat , nisi per territorium alienum , non aliter accedere illum posse aut obsidere , quàm priùs à Vicinis impetrato assensu : secus si fiat , optimo maximo illos , & Gentium & Civili Jure , ne quis non-dominus , se invitis fundum suum atque territorium ingrediatur, prohibere posse , aut si alter fortè potentior , perrumpat , de violato Domini & territorii jure quæstionem inferre. Quid ergò , si non tantùm dissentientibus Vicinis id agatur , sed ipsi molestiâ etiam afficiantur , si exactionibus , si hospitationibus vexentur vicini Statûs , eorumque subditi ? Nimirum

Quoties milites quavis occasione , aut quocunque tempore per aliorum territoria aut fines aliquis ducere velit, transitus hujusmodi instituaturs ejus, ad quem trans-euntes milites pertinent , sumtu , atque adeò sine maleficio , damno & noxâ eorum , quorum per territori
toria

toria ducuntur, ac denique omninò observentur, quæ de conservatione Pacis publicæ Constitutiones decernunt & ordinant.

Ita iterùm præcipiente Pacis Instrumento.

Longum foret, Rex Christianissime, omnes illas Conditiones, quas in hâc materiâ de militum transitu præscribunt & requirunt Leges nostræ, exponere. Nihil fermè eorum justo ordine & tempore à parte Moguntinâ præstitum, ne Cautio quidem, qualem prædictæ Leges exigunt, jamque quotidie audiuntur passim querelæ de vi à Moguntinensibus & Auxiliaribus militibus illatâ, de hospitationibus, rapinis aliisque gravissimis & intolerandis facinoribus.

Prævidentes ea omnia Aug. Conf. addicti Statûs, publicè se hîc in Comitibus per nos obtulerunt, effecturos se, ut Erfurtenses sine ullo armorum strepitu, sine tubis & turbis in ordinem redigerentur, & imperata, quæ (præter punctum Precum jam introductarum) ex præscripto Sententiarum aut Rescriptorum Cæsareorum restarent peragenda, facerent, vicinis in promptu habentibus coercendi ipsos & eo adigendi media. Adeò nihil in se desiderari passi sunt prædicti Statûs, saltem ut tranquillitati publicæ consuleretur, subditivè Statuum, nullâ justâ ratione, quod delirassent Erfurtenses, luentibus. Ipsi etiam jam Erfurtenses, missis ad Moguntinenses Ministros Deputatis, obsidionem & oppugnationem urbis deprecari, ad omnia Sententiis & Rescriptis sibi injuncta præstanda paratos se esse ostenderunt. Sed nihil uspiam effectum. Moguntinenses hâc ratione omnibus sibi subtractis prætextibus & adminiculis, novo exemplo non à partitione & satisfactione, sed ab assecuratione negotium & tractatum auspiciandum causantur, Fortalitium Cyriaci ad Civitatem pertinens, duasque urbis Portas sibi præliminariter tradi poscunt; De quibus

974a 5318
quibus nihil in Sententiis , nihil in Rescriptis , imò ne in lite quidem hæctenùs agitâtâ cogitatum. Talia , an jure fiant , & an à vicinis Statibus & Circulis , (quorum maximè , in Statu pristino manere Civitatem , interest) ab omnibus denique Aug. Conf. addictis æquo animo ferri possint , Regiæ Vestræ Maj. esto judicium.

Quam proinde , nomine Dominorum nostrorum , obnixè rogamus , atque nos eâ , quâ decet reverentiâ obtestamur , ut justissima hæc desideria pondus apud se habere sinat , copias suas regias retineat , aut si quæ jam ex Galliâ profectæ , revocet , neque cuiquam suorum permittat , operam suam ad opprimendam afflictissimam urbem , aut ei quidquam , quod nec Inst. Pac. nec ullâ etiam Imperatoriâ Sententiâ aut Rescripto continetur , extorquendum , eripiendumve , conferre aut locare , Eminentissimo verò Moguntino autor sit & hortator ad exercendam in Erfurtenses , ad parendum Sententiæ paratos , æquitatem & Clementiam , & ut in illis quæ Antecessores sui ArchiEpiscopi Moguntini hæctenùs habuerunt , Juribus adquiescat , etiam , si quid interim , dum hæ ad Regiam Vestram Maj. perferuntur literæ , aut postea contra factum fuerit , in pristinum restituatur , suaque Civitati integra Jura relinquantur omnia.

Beneficium istud in Civitatem collatum , Dominis nostris gratissimum accidet , ad colendam vicissim Pacem & officia Reg. Vestræ Maj. præstanda promptissimis. DEUS Regiam Vestram Majestatem servet. Dabantur Ratisponæ 26. 7bris. & 6. 8bris. Anno 1664.

Regiæ Vestræ Majestatis

Humilimi & addictissimi

Sac. Rom. Imperii Electorum , Principum & Statuum Aug. Conf. addictorum ad

Ad
Regem Gallia.

præsentia Comitum Le-
gati.

Q. K. 132, 1.

(X 2004)

Copia Litera
 STATUUM EVANG
 Ad
REGEM G.
 IN CAUSA E
 TENS
 Anno DC I

BIBLIOTHECA
 MINICKAVIAN

